1863.

De pronominum relativorum linguae Graecae origine atque usu Homerico.

Dissertatio inauguralis

quam

auctoritate atque consensu

amplissimi philosophorum ordinis

Academiae

Georgiae Augustae

ad summos in philosophia honores capessendos

scripsit

Carolus Hentze

praeceptor Gymnasii Gottingensis.

Gottingae.

Typis expressit officina Hoferiana.

1863.

1871, Oct. 14.
Salisbury Fund.

De Homeri carminibus quamquam plurimi vel docte disseruerunt vel eleganter judicaverunt, tamen sermonis Homerici indolem atque naturam ea, qua opus est, diligentia investigatam nondum esse jure questi sunt, qui in his studiis versantur. Quod qui factum sit, hoc loco non est, cur pluribus exponamus. Gaudeamus coepta esse revocari studia a subtiliore perscrutatione rerum et ad sermonis leges indagandas converti. Quo in genere qui primi studium suum collocaverunt, quum et finem petendum proposuerint et viam ineundam quaestionibus ipsis monstraverint, alios novo incitatos studio eorum vestigia secuturos esse speramus [1]). Accedit, quod ii, qui comparativam, quam dicunt, linguarum indagandarum viam hac nostra aetate ingressi sunt, eruendis et formis vocabulorum antiquissimis et notionibus nativis nova in dies afferunt, quibus tenebrae antiquissimo sermoni obductae magis magisque discutiuntur. Unde quantam interpretatio Homeri utilitatem percipiat, per se satis patet. Sed multo majoris momenti est, his quaestionibus initium principiumque sumi, unde profecti gradatim ad sermonis Homerici historicam, quae dicitur, syntaxin omnibus numeris absolutam perveniemus.

---

[1]) Prae ceteris nominandi sunt: Classen, Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch. Schulprogramme, Frankfurt 1854—1857. L. Meier, der Infinitiv der homerischen Sprache. Göttingen 1856. La Roche homerische Studien. Der Accusativ in Homer. Wien 1861. Otto, Beiträge zur Lehre vom Relativum bei Homer. Weilburg. Progr. 1859.

Admirabilis vero est sermonis Homerici et simplicitas et perfectio. Itaque quùm verborum modo simplicem continuationem modo ambitum circumscriptum reperiamus, ultro se offert quaestio, quomodo ex parataxi, quae dicitur, simplicissima periodus paullatim exculta sit. Qua in re quum relativam membrorum conjunctionem maximi momenti esse appareat, pronominum relativorum originem et vim diligentius inquirere usumque ita persequi instituí, ut, unde singulae structurae ortae sint, ostendere studeam. Quà quaestione si quid ad illustrandam sermonis Graeci historiam attulero, id, quod mihi proposueram, effecisse mihi videbor.

I.

Quae inter pronomina ὁ, ἡ, τό et ὅς, ἥ, ὅ intercedat ratio, in universum explicatur.

Duo apud Homerum pronomina vi relativa usurpantur ὁ, ἡ, τό et ὅς, ἥ, ὅ. Quae quum et formis compluribus inter se consonent et notione non multum differre videantur, a grammaticis plerumque ad communem, quam statuerunt, formam antiquiorem τος, τη, το revocata sunt, cui vim demonstrativam inesse inter omnes constat[2]). Haec, quae diu placuit, sententia nunc refutata est, ex quo ii, qui comparandis linguis operam dederunt, pronomen ὅς, ἥ, ὅ cum eo, quod est in lingua Sanscritana yas, ya, yad, origine cohaerere cognoverunt[3]). Quod quum radice longe recedat a pronomine demonstrativo a litera t incipiente, illa quoque pronomina graeca ullo inter se conjungi vinculo jure negaverunt. Hanc ad sententiam confirmandam novum nuperrime accessit adjumentum ex inscriptione quadam Locrensi a Rossio edita[4]), in qua FOTI legitur = ὅτι. Inde quum confirmetur, quod ex vestigiis quibusdam sermonis Homerici jam antea colligere licebat, pronomen ὅς antiquissimis

---

[2]) Bernhardy wissenschaftl. Syntax p. 291. 305. Thiersch griech. Grammatik §. 206, 21.

[3]) Bopp vergleichende Grammatik §. 382. Grimm deutsche Gramm. III. p. 14.

[4]) Cfr. Savelsberg in Kuhns Zeitschr. für vergleichende Sprachforsch. Bd. VIII. p. 402.

temporibus a digammate incepisse, non jam de communi pronominum ὁ et ὅς origine cogitare licet. Eae enim formae pronominis demonstrativi, quae cum formis alterius consonae sunt, (ἡ, αἱ, οἱ) inde explicantur, quod literam t in linguis Sanscritana et Gothica litera s permutari videmus, quae in lingua graeca pariter atque in ea, quae dicitur Zend, spiritui aspero cessit[5]). Usum vero pronominum si, quantum per formas consonas fieri licet, separaveris, ita discrepare intelliges, ut notionem quoque pronominum diversam esse statuendum sit. Atque in universum quidem patet relativum pronominis demonstrativi usum angustioribus circumscribi terminis, quam usum pronominis ὅς, ἥ, ὅ. Deinde constructiones nonnullae, quarum pronomen demonstrativum exempla certa fere nulla, pronomen ὅς praebet plurima, quum ex notione demonstrativa non satis explicentur, ad peculiarem vim pronominis ὅς revocandae esse videntur, id quod infra accuratius exponemus. Quo in numero referenda sunt haec: pronomen relativum pronomini demonstrativo praemissum [6]), substantivum definiendum sententiae relativae interpositum [7]), genitivus partitivus e pronomine aptus [8]). Denique a pronomine demonstrativo plane abesse videtur et usus causalis et is, quo sententia relativa protasis conditionalis partes sustineat. Itaque, quum pronomen Sanscritanum yas notionis demonstrativae nulla vestigia praebeat, vix dubitari potest, quin pronomen

---

5) Kuhn in Zeitschr. für vergleich. Sprachforsch. I. p. 271.

6) Pronomen demonstrativum tria exempla certa praebet. Il. 1, 125. Od. 4, 349. Il. 18, 460, quae unde explicanda sint, infra videbimus.

7) Pronominis demonstrativi exemplum certum legitur unum Od. 2, 262.

8) Pronominis demonstrativi praeter Od. 14, 221, ubi pronomini particula τε adjuncta est, nullum exstat exemplum.

ὅς, ἥ, ὅ a demonstrativa notione semper abhorruerit itaque a pronomine demonstrativo plane separandum sit.

At constat et apud Homerum [9]) interdum et in formulis quibusdam sermoni posteriori usitatis [10]) nominativum generis masculini ὅς vim demonstrativam habere. Quo quum sententia modo exposita refelli videatur, tamen non est, cur eam abjiciamus. Jure enim Otto [11]) hanc formam ὅς inter formas pronominis demonstrativi ὁ, ἡ, τό retulisse mihi videtur, quum nihil obstet, quominus ne demonstrativum quidem pronomen litera s, quae est nota casus nominativi, antiquissima aetate caruisse sumamus. Antiquiorem autem hanc formam praeter recentiorem (ὁ) eadem de causa servatam esse arbitramur, qua formae τοί et ταί praeter formas οἱ et αἱ servatae sunt. Aptissimae enim erant ad membrum alterum alteri cum vi quadam objiciendum. Od. 2, 8 *οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.* Il. 22, 201. *ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσίν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι.* — Demonstrativa pronominis vis praeterea reperitur Il. 21, 198. 6, 59. Deinde iis locis, quibus particula *γάρ* adjungitur, (Od. 1, 286 *ὃς γὰρ δεύτατος ἦλθεν Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.* Od. 17, 172) demonstrativam pronomini vim tribuere solemus, quamquam ex duobus locis, quibus neutrum relativi pronominis (ὅ) cum particula *γάρ* conjunctum legimus — Il. 12, 344. 23, 9 = Od. 24, 190 —, haud scio, an colligi possit, ne illis quidem locis pronomen ὅς demonstrativum esse. Nam quemadmodum et particula *γε* et particula *ῥα* sive *ἄρα* non modo pronomini demonstrativo sed etiam relativo saepissime adjunguntur, ita particulae *γάρ* ex duabus illis compositae ea videtur esse natura, ut et

---

9) Thiersch Gramm. §. 284, 14.

10) Bernhardy Syntax p. 306.

11) Otto Beiträge zur Lehre vom Relativ bei Homer. Theil I. p. 2. Weilburg 1859.

demonstrativo et relativo adjungi possit. Reliquis locis, quos dubios esse putes, relativam pronominis notionem defendi licet [12]).

Ita separatis, quae grammatici similitudinis specie adducti consociarunt, transeuntibus nobis ad singula quaestio ita persequenda erit, ut primum utriusque naturam et vim inquiramus, deinde, quomodo relativus usus paullatim excultus sit, explicemus. Comparata vero sermonis germanici conditione antiquissima, quum pronomen demonstrativum prius relativi partes sustinuisse dubium non sit, inde quaestionis initium repetamus.

---

12) velut Od. 4, 389 cfr. Faesi.

II.

De relativo pronominis demonstrativi usu.

Pronomen ὁ, ἡ, τό, quum habeat vim demonstrativam, qua vel oculos audientium convertit ad ea, quae in conspectu posita sunt, vel rem aliquam satis notam esse indicat, aptissimum esse apparet ad referendam notionem rei vel personae antecedentibus significatae. Duae autem potissimum causae sunt, quibus viam ad relativum usum paullatim apertam esse putemus: primum, quod pronomen in locum cujusvis notionis antecedentis succedere poterat, deinde quod primum enunciati locum obtinere solebat. Unde relativum usum in hunc modum ortum esse arbitramur. Utebantur pronomine saepissime ad addenda sententiae antecedenti, quae rem aliquam vel personam describerent vel accuratius definirent, velut Il. 1, 36. ἠρᾶθ' ὁ γεραιὸς Ἀπόλλωνι ἄνακτι, τὸν ἠύκομος τέκε Λητώ. Od. 5, 57 ὄφρα μέγα σπέος ἵκετο, τῷ ἔνι νύμφη ναῖεν ἐυπλόκαμος. Ejusmodi additamentis quum narratio non continuaretur, sed incideretur, fieri non potuit, quin dignitate inferiora esse sentirent, quippe quae nonnisi sententiae antecedenti adjuncta quidquam valerent. Ita quum certum quoddam esse discrimen sententiae primariae et secundariae cognovissent, verborum collocatione facile effecerunt, ut ipsis auribus perciperetur. Duae nimirum res significandae erant: primum sententias duas arctissime inter se contineri, deinde additamentum sententiae antecedentis vim non aequare. Quorum illud ita

significabant, ut notio pronomine referenda, quantum fieri poterat, proximum ante pronomen locum obtineret [13]), hoc ita, ut verbum, quod est in additamento, in fine enunciati poneretur [14]). Ut exempla afferamus, si comparaveris, quae leguntur Od. 6, 46 *Οὔλυμπόνδ'* — (interpositi sunt tres versus) *τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα* cum loco supra allato Od. 5, 57 *ὄφρα μέγα σπέος ἵκετο, τῷ ἔνι νύμφη ναῖεν ἐυπλόκαμος:* illo loco pronomen demonstrativum, hoc relativum esse ex collocatione verborum facile cognosci intelliges. Quo minus enim interest spatium inter notionem definiendam et pronomen demonstrativum, eo minus demonstrativam vim sentiri apparet. Recedente vero praedicato sententia relativa suum accipit verborum numerum, quo secundariam esse facile cognoscis, quum in sententia primaria verbum plerumque loco promineat, ut non raro primum locum occupet.

Arctius junguntur membra, si pronomen demonstrativum notioni definiendae adjunctum relativo praemittitur, id quod tunc fieri solet, quum sententia relativa adduntur ea, quibus res memorata ab aliis rebus ejusdem generis accurate distinguatur. Ita praemisso pronomine demonstrativo quum animi ad audienda, quae sequuntur, cum vi excitentur, demonstrativa relativi vis etiam magis minuitur. Od. 19, 573 *τοὺς πελέκεας, τοὺς κεῖνος ἐνὶ μεγάροισιν ἑοῖσιν ἵστασχ' ἑξείης.* Od. 13, 262 *τῆς ληίδος, τῆς.* Ceterum hanc quoque rationem una collocatione verborum satis significari cognoscitur ex his locis: Od.

---

13) Quo fit, ut notio definienda, ubi longius abest, interdum proxime ante pronomen repetatur, velut Od. 1, 22 *ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας, Αἰθίοπας, τοὶ* .... cfr. Otto p. 11.

14) Quam legem non modo in sententiis relativis, sed etiam in iis, quae de conjunctionibus pendeant, apud Homerum valere probavit Giesecke: Neue Jahrbb. für Philolog. 1861 Bd. 83 p. 225 ff.

8, 74 *ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν οἴμης τῆς τότ' ἄρα κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν* Od. 21, 219 *οὐλὴν τὴν*, ubi notio definienda quum in initio versus proxime ante pronomen relativum posita sit, adeo effertur, ut pronomine demonstrativo opus non sit.

Jam vero correlativae structurae duo genera exculta sunt. Quorum alterum oritur ita, ut pronomen demonstrativum relativo praemittatur ad indicanda, quae sententia relativa exponuntur. Il. 7, 452 *τοῦ δ'ἐπιλήσονται τὸ ἐγὼ καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων — πολίσσαμεν.* Od. 9, 334 *οἱ δ'ἔλαχον τοὺς ἄν κε καὶ ἤθελον αὐτὸς ἑλέσθαι.* Alterum genus inversum praebet ordinem sententiarum. Exempla duo tantum apud Homerum leguntur haec: Il. 1, 125 *ἀλλὰ τὰ μὲν πολέων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται.* Od. 4, 349 = 17, 140. *ἀλλὰ τὰ μέν μοι ἔειπε γέρων ἅλιος νημερτής, τῶν οὐδέν τοι ἐγὼ κρύψω ἔπος οὐδ' ἐπικεύσω.* Quae si diligentius inspexeris, concitatum loquentis animum prae se ferre intelliges. Quae enim praemittuntur, adeo loquentis animo veluti praesentia obversantur, ut tamquam nota pronomine demonstrativo afferantur. Ita quum sententiae primariae vim habere videantur, tamen addita pronomini particula *μέν*, cui *δέ* non opponitur, jam inde ab initio significatur alterum membrum sequi, ita ut his locis relativus pronominis demonstrativi usus particulae *μὲν* maxime deberi videatur. Continentur vero membra praeterea epanaphora pronominis in initio positi, cui quae antiquissima sermonis aetate tribuendae sint partes, bene exposuit Hartung [15]). Sed quum hic membrorum ordo concitato loquentis animo debeatur, excepto uno loco [16]) apud Homerum valet alter, quo sententia relativa sententiam primariam sequatur.

---

15) Lehre von den Partikeln der griech. Sprache I. p. 61. cfr. Thiersch §. 316, 11.

16) Il. 18, 460, ubi pronomen ad substantivum proxime antecedens facile refertur.

Munito vero relativo pronominis demonstrativi usu, quum membrorum necessitudo ex ipsa ratione sententiarum cognosceretur, facile factum est, ut praemittendo pronomine demonstrativo non semper opus esse videretur. Deest, ubi eodem casu ac pronomen relativum ponendum erat, Nominativo Il. 11, 649, Accusativo Od. 7, 187. Il. 9, 167. Aliis locis verbo relativum proxime antecedente sententiarum ratio satis indicatur, velut Il. 24, 106. 3, 351. Quo in usu pronomen quum simul et demonstrativi et relativi partes sustineat, demonstrativae naturae plus retinere apparet, quam ubi vel ad notionem aliquam antecedentem vel ad pronomen demonstrativum refertur.

Ita quum relativum pronominis usum adeo munitum videamus, ut vel in exponendis notionibus ipsis liberrimus sit, tamen limitibus quibusdam circumscribitur, quibus pronomen ὅς, ἥ, ὅ vacat. Nullus enim locus apud Homerum legitur, quo notio pronomine ὁ exposita partes dativi sustineat, quum, quod infra videbimus, pronomen ὅς plurima exempla praebeat. Neque in exponendis, quae genitivi munere funguntur, pronomen demonstrativum aequa utitur libertate atque pronomen ὅς. Exstant quidem loci nonnulli, quibus interpretes genitivum pronominis demonstrativi ante relativum (ὁ) supplendum esse censent, sed oratio ipsa ita composita est, ut pronomen demonstrativum non desideres. Immo praemissum pronomen demonstrativum sententiarum rationem plane mutaret. Ita quae leguntur Od. 6, 150 εἰ μέν τις θεός ἐσσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν = 16, 182, inde facile explicantur, quod pronomine indefinito τις voci θεός adjuncto indicatur totum genus, non singulos quosdam deos loquenti ante oculos obversari. Similiter judicandum est de iis, quae leguntur Il. 24, 151 νεκρὸν ἄγοι προτὶ ἄστυ, τὸν ἔκτανε δῖος Ἀχιλλεύς, ubi notio viri, de cujus cadavere sermo est, ita loquenti obversatur, ut sententiam relativam

ad ipsam vocem *νεκρόν* referat. Restat, ut afferamus Il. 19, 339 *μνησάμενοι τὰ ἕκαστος ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπον*, sed duplici constructione verbi *μιμνήσκεσθαι* (cf. Od. 24, 122) in dubium vocatur, utrum sententiam relativam genitivi an accusativi munere fungi statuamus.

Coercetur vero relativus pronominis usus ipsa demonstrativa natura, quippe quae relativo usu minime deleatur. Atque imprimis servatur, ubi neque notio ulla definienda neque pronomen demonstrativum antecedit, ad quae pronomen referatur. Quo in usu hanc legem in universum observari videmus, ut pronomine demonstrativo maxime exponantur, quae vel nota sunt vel tamquam praesentia loquentis animo obversantur. Minime vero factum esse apparet ad exponenda, quae a singularibus rebus mente abstracta sunt vel quae generatim dicuntur. Quod apertissime elucet ex usu masculini *ὅ*. Ubicunque enim adhibetur ad describendas vel personas vel res, interpretandum est: *jener, der*, neque invenies locum, ubi generatim intelligendum sit: *einer, der*, vel *wer*, cfr. Il. 3, 351 *δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργεν, δῖον Ἀλέξανδρον*. 9, 167. 11, 649. 18, 460. Adeo vel in relativo usu demonstrativa pronominis natura servatur.

Haec si recte disputata sunt, jam de particula *τε* pronominibus relativis apud Homerum saepissime adjuncta, cujus vis adhuc dubia est, paullo rectius judicare fortasse licebit.

III.

De particula τε pronomini demonstrativo adjuncta.

De vi particulae τε pronominibus relativis adjunctae homines docti in diversissimas discesserunt sententias. Quarum quae maxime notabiles videntur, priusquam nostram exponamus, paullo accuratius examinabimus. Atque Thierschius [17]) quidem pronomen relativum quum a pronomine indefinito τις derivavisset, ad significandam relationem natura non factum adjuncta demum particula τε (= und) in relativum usum abiisse censuit. Quem secutus est Faesi [18]), qui, etsi pronomini ipsi copulativam vim tribuit, tamen particula τε relativam pronominis vim augeri statuit. Alteram sententiam protulit Nitzschius [19]), profectus ab iis, quae God. Hermannus [20]) de particulae vi disputaverat. Qui quum docuisset, particulam τε proprie non copulare, sed rem reddere incertam, ut fere nostro *etwa* responderet, quum vero copularet, addere, quae tamquam non necessaria praecedentibus accederent: Nitzschius hanc legem apud Homerum valere statuit, quam ipsius verbis afferre liceat: „Das Relativ mit τε giebt eine hinzukommende, einen schon angegebenen Gegenstand (oder sein Prädikat) weiter bezeichnende Bestim-

---

17) Gramm. §. 316, 6.
18) ad Od. 1, 50.
19) ad Od. 1, 50.
20) Adnotationes ad Vigerum, No. 315.

mung (synthetisch); ohne *τε* aber giebt es den Gegenstand, den Ort selbst oder den Umstand, ohne welchen der Gegenstand, der Ort gar nicht erwähnt werden würde." Paullo aliter judicavit Naegelsbach [21]). Is quum discessisset in sententiam Hartungii [22]), particulam casum quendam pronominis demonstrativi ex' *τεῖ* vel *τῇ* correptum esse statuentis, particulae nostrae *so* vel *auch*, *ingleichen* respondere ratus, usus originem ex iis locis repetivit, quibus sententia relativa addantur, quae cum notione antecedente tam arcte contineantur, ut inde sponte fluere videantur. Ut exemplum afferam, quae leguntur Il. 2, 471 *ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει*, his verbis interpretatur: „In der Jahreszeit, wo es Frühling ist und wo demgemäss Milch die Gefässe nässt — in der Frühlingszeit, wo denn auch Milch die Gefässe nässt." Denique Wentzel [23]) quum particulae vim demonstrativam tribuat, ut vertenda sit *da*, pronomini relativo tum adjungi docet, quum sententia relativa contineantur, quae vel omnibus vel certe loquenti et audienti nota sint. Similiter judicare videtur Krüger [24]), qui, comparata particula *δή*, *ὅστε* nostro *der da* fere respondere et hanc particulam *τε* ab ea, quae copulet (= und) plane separandam esse doceat. Sed quum sententiam suam pluribus non explicaverit, quid adjuncta particula effici arbitretur, non satis liquet. Mirum in modum duas sententias inter se diversas confudit Ameis [25]).

---

21) Anmerkungen zur Ilias. 2. Aufl. p. 205, 218, 277.

22) Lehre von den Partikeln I. p. 58.

23) Ueber den Gebrauch der Partikel *τε* bei Homer. Glogau 1847, p. 2 und 3.

24) Poetisch-dialectische Syntax §. 51, 8, 2. §. 69, 70.

25) ad Od. 1, 50. „ὅθι τε ursprünglich Parataxe: *und da*, dann aber wird die Partikel *τε*, wie ein tonloses, deictisches da oder so der vertraulichen Rede, sehr oft an Pronomina, Adverbia und andere Partikeln angereiht."

Jam quum nostrum sit, ea, quae a viris doctis prolata sunt, in judicium vocare, primum de iis dicendum est, qui particulae copulativam vim tribuunt. Atque quae Thierschius de pronominis relativi origine disputavit, quum recentiorum disquisitionibus refutata sint, nemo hodie erit, qui comprobet. Deinde vide, quae sit via mira atque impedita, qua pronomen ad relativum usum pervenisse putat, quum hos fere, quibus notio paullatim commutata sit, gradus fuisse suspicetur: wer — er — und er — welcher. Qua in re prae ceteris id explicationis indiget, quomodo particula τε pronomini demonstrativo adjuncta relativam vim effecerit, praesertim si vertas *und*. Sed ut concedamus hac interpretatione peculiarem particulae vim non satis illustrari, omnino, si quidem copulativam esse statuamus, relativam pronominis vim particulae deberi probabile non videtur. Quum enim addat, quae antecedentibus accedant, minime intelligitur, quomodo additamentum cum antecedente vel notione vel sententia ita conjungere possit, ut tamquam membrum necessarium inhaereat Immo tantum abest, ut particula τε parataxin membrorum tolli putemus, ut ipso pronomine demonstrativo sententias multo arctius contineri censeamus. Accedit, quod particula τε aliis pronominibus adjungitur, ubi de copulativa vi cogitari nullo modo liceat [26]. Quae quum ita sint, nobis persuadere non possumus, particula τε relativam pronominis vim vel effici vel augeri.

Verius copulativam, quam statuit, particulae vim explanavit Nitzschius. Qui id quoque rectissime observavit, pronomen demonstrativum vel in relativo usu demonstrativae naturae aliquantum retinere. Quod quum facile concedamus, tamen quomodo copulativa particulae

---

26) Pronomini interrogativo, indefinito, οἷος, ὅσος. Cfr. Krüger poetisch-dialect. Syntax §. 69, 71, 2. Wentzel l. c. p. 11 et 30.

vi demonstrativa pronominis natura prorsus deleatur, non intelligimus. Tum vero lex illa, quam apud Homerum valere censuit, usu non probatur. Quamquam enim satis multi loci leguntur, quibus pronomina ὅτε et ὅστε addunt, quae vim sententiae primariae non augent, tamen ne ii quidem rari sunt, quibus non est dubium sententiam relativam accedere necessariam (Il. 5,331. 19,105. 18,485), praesertim si non praecedit notio, ad quam pronomen referatur, velut Od. 14, 80. 23, 6.

Copulativam vim particulae etiam Naegelsbach tribuit, sed eam, qua adjungat, quae cum notione praecedente adeo contineantur, ut inde fluere videantur. Sed comparantibus nobis reliquum particulae usum maxime dubium videtur, num ejusmodi vis consecutiva, quam dicit, particulae jure tribuatur. Tum loci illi, quibus usus originem illustrat, tam singularem praebent sententiarum rationem, ut inde increbruisse usum maxime mirum putandum sit. Paucissimi enim sunt loci, quibus τε illud consecutivum sententiarum ratione defendi possit. Quae quum ita sint, copulativam particulae vim ab hoc usu prorsus abhorrere nobis persuasum habemus.

Propius ad verum accessisse nobis videtur Wentzel, qui particulam τε primo demonstrativam fuisse statuit, ita ut interpretanda sit *da*. Attamen de usu aliter statuendum esse putamus. Atque satis magnum locorum numerum ad suam sententiam accommodavit, qui ab hoc particulae usu alieni sunt, quum duo membra orationis particula τε conjuncta praebeant. Reliquis vero locis particulam nihil facere ad mutandam pronominis naturam, sed ad totam sententiam pertinere, quae est particulae cum pronomine societas arcta et constans, probabile non videtur.

Jam quum transeamus ad nostram sententiam exponendam, separatis pronominibus ὅ et ὅς natura diversis,

primum quaerendum est, quae vis particulae pronomini demonstrativo adjunctae vindicanda sit. Qua in quaestione proficiscimur ab iis, quae Nitzschius recte observavit, in pronomine demonstrativo, etiamsi relativi partes sustineat, tamen demonstrativae naturae aliquantum inesse. Quod tum maxime cognosci vidimus, quum pronomen non ad notionem praecedentem referatur, sed ad notionem ipsam rei vel personae exponendam adhibeatur. Jam quum hoc in usu pronomen demonstrativa natura ita coerceatur, ut adhiberi non liceat ad exponenda, quae a singularibus rebus mente abstracta sunt vel quae generatim dicuntur, accedente particula *τε* pronominis vim ita augeri putamus, ut ad quamcunque notionem exponendam aptum sit. Quam ad sententiam perducti sumus locis nonnullis, qui singularem quendam pronominis *ὅτε* usum praebent a pronomine *ὅ* alienum. - Atque prae ceteris afferenda sunt, quae leguntur Od. 14, 220—221 *ἀλλὰ πολὺ πρώτιστος ἐπάλμενος ἔγχει ἕλεσκον ἀνδρῶν δυσμενέων ὅτέ μοι εἴξειε πόδεσσιν.* Quem locum si comparaveris cum iis, quibus pronomen *ὅ* ad describendas personas adhibetur (Il. 11, 649. 3, 351), pronomina *ὅ* et *ὅτε* ita inter se discrepare intelliges, ut illud certum quendam hominem significet, hoc generatim comprehendat omnes, de quibus idem dici possit. Eandem igitur hoc loco habet vim, atque pronomina *ὅς* et *ὅστις* vel *ὅτις*, quae reliquis locis leguntur, ubi similis ratio sententiarum invenitur. Il. 2, 188. 2, 198. 4, 232. 4, 240. 10, 489. 12, 268. 12, 428. 15, 22. 15, 731. 15, 743. Od. 9, 94. 12, 331. 22, 315. 22, 415. 23, 65. 17, 316. Singularis vero locus allatus ob eam quoque causam est, quod ex pronomine *ὅτε* genitivus partitivus pendet, quum pronomen *ὅ* ejus structurae nullum exemplum praebeat.

Accedit alius quidam usus, quo pronomen *ὅτε* ad notionem pronominis *οἷος* proxime accedat. Illustratur

apud Homerum rei alicujus natura sententia relativa saepius ita, ut quae adduntur, non ad unam illam rem pertineant, sed de toto genere exponantur, cui res ascribitur. Quod quum facillime efficiatur pronomine οἷος [27]), quippe quod numero plurali ad numerum singularem referri liceat, tamen uno loco pronomen ὅτε eodem munere fungitur. Od. 5, 438 κύματος ἐξαναδύς, τά τ' ἐρεύγεται ἤπειρόνδε. Quo loco Ameis, quum ante pronomen relativum genitivum pluralis demonstrativi supplendum esse censeat („aus einer Welle von denen, die da brausen"), ad pristinum illud interpretum vitium redit, quo, etsi sensus verborum explanatur, tamen singularis sermonis indoles negligitur. Verius quidem Faesi interpretatur: „τάτε = οἷάτε, wie sie gegen das Land hinausbrausen," sed in eo errat, quod numerum pluralem pronominis collectivo sensu vocis κύματος explicandum esse censet. Neque enim hoc loco neque versu 435 (τὸν δὲ μέγα κῦμα κάλυψεν) habemus, cur vocem κῦμα collectivo sensu intelligamus, sed unda illa, quae est una, sententia relativa ita definitur, ut describatur genus naturaque undarum, quarum in numerum referenda sit. Quodsi pronomen ὅτε hoc loco eam praebet vim, quae demonstrativi notionem multo excedat, particulae τε in hoc usu praecipuae partes tribuendae esse videntur. Quod ut statuamus, eo quoque commovemur, quod praeter pronomen οἷος (Od. 10, 243) pronomen ὅτε paene constanter legitur, ubi vel complures notiones comprehenduntur et additamentis generatim illustrantur, velut Od. 13, 60 εἰς ὅκε γῆρας ἔλθῃ καὶ θάνατος, τά τ' ἐπ' ἀνθρώποισι πέλονται Od. 15, 421. 13, 410. 14, 226 — vel certum quoddam genus rerum definitur, velut Il. 5, 52 ἄγρια πάντα, τά

---

27) Od. 1, 313. 5, 197. 5, 422. 8, 365. 10. 222. 13, 223. 14, 63. 15, 379. Ilias, quantum video, nullum exemplum praebet.

τε τρέφει οὔρεσιν ὕλη, Il. 5, 481. Od. 1, 338. 2, 390. 8, 558. Itaque hinc quoque confirmatur, quod supra posuimus, particula τε principalem pronominis vim ita augeri, ut non modo ad exponenda singula, sed etiam ad describenda genera rerum componatur. Neque huic sententiae obstant loci, qui similem pronominis ὅ usum praebere videntur. Atque de Od. 6, 150. 16, 183 jam supra disputavimus. Quae vero leguntur Il. 14, 410 χερμαδίῳ, τά ῥα πολλά, θοάων ἔχματα νηῶν, πὰρ ποσὶ μαρναμένων ἐκυλίνδετο, ea ab usu modo exposito eo recedunt, quod pronomen relativum more illo usitatissimo ad vocem πολλά accommodatum est. De simili usu pronominis ὅς infra disputandum erit.

Sed ut accuratius exponamus, quas partes particulae tribuendas esse putemus, proficiscendum est ab iis, quae de origine colligi possunt. Atque donec confirmetur sententia Savelsbergii[28]), particulam τε pariter atque particulam latinam *que* ex interrogativo derivantis, acquiescendum esse putamus in eo, quod plurimis probatum est, ex demonstrativo ducendam esse, neque multum a vero abesse nobis videmur, si particula nostra *da* interpretamur. Itaque quum particulae propria sit vis demonstrativa, aptissime eam usurpari apparet, ubicunque exponuntur, quae vel in natura vel in hominum vita observentur et quae usu probata sint. Jam adjuncta pronominibus in universum hoc efficere videtur, ut audientium animos a singulis quibusdam, de quibus sermo est, rebus notionibusque ad totum earum genus convertat. Ita ubi narrantur, quae passim usu veniunt, pronomini indefinito τις adjuncta audientes tamquam in memoriam eorum revocat, quae in vitae usu saepius observaverunt. Od. 19, 265—67 καὶ γάρ τίς τ' ἀλλοῖον ὀδύρεται ἄνδρ'

---

[28]) Zeitschrift für vergleichende Sprachforsch. VIII. p. 410.

ὀλέσασα κουρίδιον [29]. Eximiam vero vim habet in interrogatione. Quam ut intelligamus, duo monenda sunt. Atque primum quidem omnibus locis, qui huc referendi sunt, particulam τε sequitur particula ἄρα, unde apparet, iis, quae antea vel dicta vel facta sunt, causam interrogandi praeberi. Tum fere omnibus locis interrogatio est vel mirantis vel indignantis. Quae quum ita sint, particula τε hoc significare videtur: perlustrasse loquentem omnia, de quibus cogitari liceat, sed responsum non invenisse, ita ut τίς τ'ἄρα interpretandum sit: wer denn in aller Welt? Od. 1, 346 τί τ'ἄρα φθονέεις — ἀοιδὸν τέρπειν [30]. Inde facile explicatur, quod particula τε aliis pronominibus adjuncta similem vim habet, atque particula *que*. Ita pronomen οἷος, quod conjungit, quae qualitate congruant, accedente particula τε ad liberiorem usum componitur, quo comprehendat, quaecunque aliqua ex parte cum re significata contineantur, ut vertendum sit *dergleichen*. Od. 5. 422. ἠέ τί μοι καὶ κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων ἐξ ἁλός, οἷά τε πολλά τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη Od. 13, 223. 14, 63. 15, 379 [31]. Adjuncta vero pronomini ὅσος significat nihil eximi de numero eorum, de quibus sermo est, quotquot sint [32]. Incerta redditur pronominis notio particulae vi in adverbio illo apud Homerum et Herodotum usitato ὅσον τε (ungefähr wie). Od. 9, 325 τοῦ μὲν ὅσον τ' ὄργυιαν ἐγὼν ἀπέκοψα παραστάς [33]. Quae quum ita sint, non jam mirum videbitur, si etiam pronominis relativi vim accedente particula similiter mutari putamus. Atque quum particula

---

29) Exempla affert Wentzel p. 11.

30) Cfr. Wentzel p. 30. — Il. 1, 8. τίς τ'ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; interrogatio audientis fingitur brevi prooemii argumento in summam exspectationem adducti.

31) Alia affert Wentzel p. 15. 16.

32) Cfr. Wentzel p. 14.

33) Cfr. Krüger poetisch-dialect. Syntax §. 69. 71, 3.

pronominum notionem in universum ita augeat, ut quam latissime pateat et, quaecunque ejusdem generis sunt, comprehendat, adjuncta pronomini ὅ demonstrativam vim ad exponenda singula aptissimam ita augere videtur, ut ad quamcunque notionem exponendam aptum fiat. Itaque quum pronomen ὅ vertendum sit *jener*, *der* vel *er*, *der*, accedente particula a demonstrativa vi ita revocatur, ut interpretandum sit in universum *einer*, *der*. Hoc discrimen tum maxime cognoscitur, quum pronomen non refertur ad notionem aliquam praecedentem, sed ad exponendam notionem ipsam usurpatur. Quod si fit, pronomen ὅ describit singulos homines, pronomen ὅτε generatim comprehendit, qui eandem naturam praebeant vel in eadem conditione versentur, ut interpretandum sit *wer* (Od. 14, 221). Similiter particulae vim patescere vidimus, ubi neutrum pluralis ad notiones praecedentes vel singulas vel complures ita refertur, ut naturam generis, cui ascribendae sunt, definiat, ubi interpretandum est *dergleichen* (Od. 5, 438. 13, 60). Reliquo usu discrimen pronominum minus lucide apparet. Nam, quod Nitzschius statuit, pronomen ὅτε addere, quae tamquam non necessaria sententiae primariae accedant, usu non confirmari jam supra vidimus. Usurpatur pronomen ὅτε etiam ad definiendam notionem praecedentem ita, ut additamentum necessarium sententiae totius membrum judicandum sit. Hoc usu quum pronomina ὅ et ὅτε inter se differre non videantur, tamen putamus non casu fieri, quod pronomen ὅτε praecipue usurpatur ad explicandas notiones abstractas. Praecipuum igitur locum habet in comparationibus, quas non singula, sed genus spectare satis notum est. De reliquo usu nihil nisi hoc statui licebit, discrimen illud, quod primo fuisse vestigiis certis probatur, pronomine ὅς, ἥ, ὅ usu recepto paullatim neglectum esse, ut pronomina ὅ et ὅτε promiscue usurparentur.

IV.

De principali notione pronominis ὅς, ἥ, ὅ.

Ita postquam relativum pronominis demonstrativi usum illustravimus, transeuntibus nobis ad exponendam vim pronominis ὅς, ἥ, ὅ primum retractanda est quaestio de pronominis origine et significatione principali. Jam quum dubium non sit a pronomine demonstrativo plane separandum esse, de origine dupliciter statuere licet: aut, quod censuit Otto [34]), ad ipsum relativum usum conformatum esse, aut alia primo vi praeditum in relativum usum paullatim abiisse. Ex quibus illud propterea probabile non est, quod linguae Indogermanicae, quae dicuntur, reliquae peculiarem ullam vocem ad relativum usum non conformaverunt, sed vel demonstrativum pronomen vel interrogativum ad hunc usum accommodaverunt [35]). Nimirum et relativa et ceterae hujusmodi structurae ita paullatim sine dubio excultae sunt, ut linguam potius iis, quae praesto erant, usum esse, quam nova conformasse statuendum sit. Demonstrativum vero pronomen primo fuisse quum ex iis, quae supra disputata sunt, non jam verisimile sit, paene ultro se praebet suspicio altera, qua repetendum sit e pronomine interrogativo. Jam M. Schmidt [36]) suspicatus erat, pronomen relativum linguae Sanscritanae *yas*, quod pronomini ὅς

---

34) l. c. p. 8.

35) Pott etymologische Forschungen. 1. Ausg. Bd. II. p. 162.

36) de pronominibus graec. et lat. 1832. p. 30.

respondet, deperdita litera $\varkappa$ e pronomine interrogativo profectum esse. Eandem originem pronomini graeco nuperrime vindicavit Savelsberg[37]). Qui, postquam attulit, unde concludi liceat pronomen ὅς a digammate olim incepisse, primitivam quandam interrogativi formam *kva* fuisse statuit, quam in forma interrogativi Sanscritani *ku* cognosci putat. Unde ut in lingua latina formam interrogativi *quo*, ita in lingua graeca gutturali litera deperdita pronomen ϝος profectum esse censet. Haec etsi nondum omni ex parte firmata snnt[38]), tamen singulis omissis summam rei amplecti non dubitamus propterea, quod ad eandem conjecturam alia via perducti sumus. Qui enim usum pronominis diligentius observaverit, eum non fugiet multa inveniri, quae sola relativi vi non explicentur, sed ad fortiorem quandam vim pronomini natura insitam revocanda sint. Hanc vero interrogativam fuisse duabus de causis suspicamur, primum quod ipsius interrogativae notionis certa vestigia inveniuntur, tum quod comparato usu pronominis relativi latini ex interrogativo orti eae sese praebent similitudines, unde parem fuisse pronominis graeci notionem principalem jure concludas. Quam conjecturam, re accuratius explorata, ita nos confirmaturos esse speramus, ut principalem pronominis vim interrogativam fuisse vel certe ad pronominis interrogativi vim proxime accessisse veri simillimum fiat.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, redeundum est ad ea, quae Thierschius de principali relativi notione disputavit[39]). Atque primus, quantum equidem video, et recte intellexit neque relativam neque demonstrativam

37) Kuhns Zeitschr. für vergl. Sprachforsch. 1859. Bd. VIII. p. 401—15. X. p. 75.

38) Videas, quae contra disputavit Curtius griech. Etymologie II. p. 177.

39) Grammatik §. 316, 5.

fuisse pronominis vim antiquissimam, et comparandis linguis cognatis originem relativi usus illustrare conatus est. Qua in quaestione quum pronomen ὅς ex pronomine indefinito τις repetendum esse censeret, divinatione quadam prope accessit ad verum, quamquam progrediente quaestione particula τε in errorem abductus, ea effecit, quae a vero magnopere absunt.

Reperiuntur in usu pronominis vestigia quaedam notionis indefinitae, unde Thierschius jure collegit pronomen ad significandam relationem natura factum non esse [40]. Atque apertissime cernuntur in singulari illo usu particulae ὁτὲ, quo opposita particulae ἄλλοτε interpretanda est *aliquando*. Il. 18, 599 *οἱ δ' ὁτὲ μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσιν — ἄλλοτε δ' αὖ θρέξασκον ἐπὶ στίχας ἀλλήλοισιν.* Il. 20, 49 *στᾶσ' ὁτὲ μὲν — ἄλλοτε* Il. 17, 177 *ὅστε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ καὶ ἀφείλετο νίκην ῥηιδίως, ὁτὲ δ' αὐτὸς ἐποτρύνει.* Pronomini ipsi notionem indefinitam tribuit Thierschius Il. 11, 535 *αἵματι δ' ἄξων νέρθεν ἅπας πεπάλακτο καὶ ἄντυγες αἳ περὶ δίφρον, ἃς ἄρ' ἀφ' ἱππείων ὁπλέων ῥαθάμιγγες ἔβαλλον αἵ τ' ἀπ' ἐπισσώτρων,* sed quum pronomen αἵ etiam demonstrativo sensu bene explicari possit, hic locus ad probandam notionem indefinitam nihil valet. Sed inveniuntur in usu pronominis, unde notio indefinita in usu illo particulae ὁτὲ conspicua satis explicetur. Quod enim supra in universum statuimus, pronomen ὅς a demonstrativo notione diversissimum esse, inde maxime confirmatur, quod non modo ad singulos refertur, sed generatim usurpatur, ut interpretandum sit *wer*. Itaque in usu est, ubi exponuntur sententiae abstractae, velut Od. 15, 72 *ἶσόν τοι κακόν ἐσθ', ὅς τ' οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι ξεῖνον ἐποτρύνει, καὶ ος ἐσσύμενον κατερύκει.* Il. 14, 81 *βέλτερον ὅς φεύ-*

---

[40] Grammatik §. 316, 5. 316, 15.

γων προφύγῃ κακὸν ἠὲ ἁλώῃ. Eadem vis cernitur in sententiis relativis iis, quae protasis conditionalis vim habeant. Il. 11, 409 ὅς δέ κ᾽ἀριστεύῃσι μάχῃ ἔνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ ἑστάμεναι κρατερῶς. Similiter praeter pronomen ὅστις usurpatur in formula illa apud Homerum usitata οὐκ ἔσθ᾽ ὅς [41]). Il. 23, 345 οὐκ ἔσθ᾽ ὅς κέ σ᾽ἕλῃσι. Il. 21, 103 νῦν δ᾽οὐκ ἔσθ᾽ ὅστις θάνατον φύγῃ. Haec omnia, ut apte componuntur cum notione indefinita particulae ὀτέ, ita demonstrativam vim a pronomine ὅς abesse docent.

Jam vero his ipsis notionis indefinitae vestigiis pronomen ὅς ad similitudinem pronominis interrogativi accedit. Satis enim notum est in linguis indogermanicis, quae dicuntur, pronomen interrogativum simul indefiniti partes sustinere neque nisi accentu et collocatione discrimen notionis significari [42]). Ita in nostra lingua pronomina *wer* et *welcher* in initio sententiae posita accentuque elata interrogativam vim habent, adjuncta vero voci alicui tamquam enclitica indefinita sunt. (Wer ist da gewesen? Es ist wer da gewesen). Etiam in lingua latina notio indefinita pronominis interrogativi satis multis locis cernitur, ubi pronomen *quis* pro pronomine *aliquis* usurpari grammatici olim docuerunt. In lingua graeca denique pronomina τίς et πότε, ubi ad aliam quandam vocem acclinantur, indefinita sunt. Quorum ad similitudinem proxime accedit particula ὅτε, quippe quae simul et ad definiendum certum quoddam tempus (= quo tempore) et sensu indefinito (= aliquo tempore) usurpetur. Unde quum concludere liceat pronomen ὅς cum pronomine interrogativo aliqua certe ratione contineri, tum

---

41) Krüger poetisch-dialect. Syntax §. 54, 3, 8.

42) Schoemann Lehre von den Redetheilen nach den Alten. Berlin 1862, p. 99. Pott, etymologische Forschungen. 2. Aufl. Bd. I. p. 361.

ipsius interrogativae notionis exstant vestigia certa. Haud raro enim apud Homerum in interrogatione indirecta pronomen ὅς legitur, ubi pronomen ὅστις expectes. Praecedunt verba cognoscendi vel dicendi Il. 21, 609 γνώμεναι ὅς τε πεφεύγοι ὅς τ' ἔθαν' ἐν πολέμῳ· Il. 20, 21 ἔγνως, ἐννοσίγαιε, ἐμὴν ἐν στήθεσι βουλήν, ὧν ἕνεκα ξυνάγειρα. Il. 2, 365 γνώσῃ ἔπειθ' ὅς θ' ἡγεμόνων κακὸς ὅς τέ νυ λαῶν, ἠδ' ὅς κ' ἐσθλὸς ἔῃσι· Il. 13, 278. Od. 17, 363 γνοίηθ' οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι οἵ τ' ἀθέμιστοι· Od. 2, 45. οὔτε τι δήμιον ἄλλο πιφαύσκομαι οὐδ' ἀγορεύω, ἀλλ' ἐμὸν αὐτοῦ χρεῖος, ὅ μοι κακὸν ἔμπεσεν οἴκῳ. Notio interrogatione definienda in sententia primaria verbo objecta legitur Il. 23, 498 τότε δὲ γνώσεσθε ἕκαστος ἵππους Ἀργείων, οἳ δεύτεροι οἵ τε πάροιθεν. Od. 16, 317 ἀλλ' ἤτοι σε γυναῖκας ἐγὼ δεδάασθαι ἄνωγα, αἵ τέ σ' ἀτιμάζουσι καὶ αἳ νηλιτεῖς εἰσίν (= 19, 498 = 22, 417). Od. 3, 185 οὐδέ τι οἶδα κείνων, οἵ τ' ἐσάωθεν Ἀχαιῶν οἵ τ' ἀπόλοντο Od. 19, 219 εἰπέ μοι ὁπποῖ' ἄσσα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο, αὐτός θ' οἷος ἔην, καὶ ἑταίρους, οἵ οἱ ἕποντο. Verbum sortiendi praecedit Il. 7, 171 κλήρῳ νῦν πεπάλασθε διαμπερές, ὅς κε λάχῃσιν. Ex posterioris temporis scriptoribus exempla affert Madvigius [43]. Hanc vim interrogativam quum neque ex demonstrativa neque ex relativa notione repetere possimus, nil nisi hoc relinquitur, pronomen ὅς primo vel ipsum interrogativum fuisse vel certe cum pronomine interrogativo arctissime cohaerere. Quod si statuimus, relativus pronominis usus ad rationem linguarum cognatarum facile explicabitur.

Jam vero, quae sunt in usu pronominis ὅς propria, quibus recedit a pronomine demonstrativo, quum eadem in pronominibus relativis linguae latinae et nostrae ex interrogativo ortis reperiantur, suspicionem communis

43) Griechische Syntax p. 231.

originis magnopere augent. In universum quidem pronomen ὅς a pronomine demonstrativo eo discrepare vidimus, quod minime coercetur iis terminis, quos relativo demonstrativi usui constitutos intelleximus. Quod ex interrogativa, quam statuimus, pronominis natura bene explicari apparet. Jam ut singula afferamus, primum quidem interrogativae pronominis naturae deberi videtur, quod pronomen relativum interdum substantivum sententia relativa definiendum antecedit. Quo usu cum pronominibus relativis et linguae latinae et nostrae [44] congruit pronomen ὅς. Quod nisi casu factum esse putes, ex communi pronominum origine explicari necesse est. Principalis deinde pronominis latini vis cernitur, ubi non explicat notionem antecedentem, sed ad insequentem per copulam *sum* ita refertur, ut praedicati locum obtineat, velut Cic. ad fam. VII, 2.: „Si mihi negotium permisisses, qui meus amor in te est, confecissem", ubi *qui* interpretandum est: von welcher Art, wie beschaffen. Jam pronomen ὅς, etsi eundem usum non praebet, tamen saepenumero eam habet vim, quae a copulativo pronominis relativi usu multum deflectat et ad significationem qualitatis proxime accedat. Insignis est locus Il. 22, 506 *Ἀστυάναξ, ὃν Τρῶες ἐπίκλησιν καλέουσιν* (quem dicunt, wie ihn nennen). Quo loco comparato cum iis, quae leguntur Il. 7, 138 *Ἀρηιθόου, τὸν ἐπίκλησιν κορυνήτην ἄνδρες κίκλησκον*, facile intelligitur, in pronomine ὅς praeter relativam vel copulativam simul praedicativam vim inesse, quae a pronomine demonstrativo aliena est. Etiam posterioris aetatis scriptores pronomen ὅς non raro ita usurpant, ut proxime accedat ad vim pronominis *οἷος* [45]). Denique etiam causalem pronominis usum, cujus pronomen demonstra-

44) Müller mittelhochdeutsches Wörterbuch Bd. III. p. 576.

45) Bernhardy, Syntax p. 291. Krüger griech. Grammatik §. 51, 8, 5.

tivum nullum exemplum praebet, ex interrogativa natura aptius explicari concedes. Il. 2, 275 *νῦν δὲ τόδε μέγ' ἄριστον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν, ὃς τὸν λωβητῆρα ἐπεσβόλον ἔσχ' ἀγοράων.* Quem usum ad explicandum neque demonstrativam neque relativam vim sufficere apertissime elucet Od. 18, 222 *οἷον δὴ τόδε ἔργον ἐνὶ μεγάροισιν ἐτύχθη, ὃς τὸν ξεῖνον ἔασας ἀεικισθήμεναι οὕτως,* ubi si cum Ameisio genitivum pronominis demonstrativi ante relativum supples, quae est vis pronominis relativi peculiaris, plane deletur. Quum enim non praecedat, quo pronomen referas, relativam vim ejusmodi locis minus valere apparet, sed pronomen praedicativa vi ad subjectum sequens ita refertur, ut proprie interpretandum sit: als ein welcher. Quam sententiarum rationem nos significamus: er, der, sofern er, weil er. Causalis igitur pronominis vis in eo posita est, quod judicium de homine quodam sententia primaria pronunciatum sententia relativa ita definitur, ut ad unam certam quandam rationem revocetur. Il. 12, 234 *ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί, ὃς κέλεαι Ζηνὸς μὲν ἐριγδούποιο λαθέσθαι βουλέων.*

Haec fere sunt, quibus adducimur, ut pronomen ὅς primo non demonstrativum fuisse, sed ex interrogativo ducendum arbitremur. Reliquum est, ut, qua ratione interrogativa pronominis vis paullatim in relativam abierit, ex iis, quae in sermone Homerico reperiuntur, vestigiis illustrare conemur, quo, quae supra disputavimus, etiam magis munitum iri speramus.

V.

Qua ratione pronomen ὅς in relativum usum abierit [46]).

Qua in quaestione proficisci nobis liceat a singulari quodam interrogationis usu poetae medii aevi, cui nomen est Wolfram Eschenbachius, proprio. Exemplorum, quae reperiuntur creberrima, exscribere placet haec tria:

Parzival I, 1, 26 ed. Lachmann:

wer roufet mich dâ nie kein hâr
gewuohs, inne an mîner hant?
der hât vil nâhe griffe erkant [47]).

Parzival I, 3, 8:

wie staete ist ein dünnez îs,
daz ougestheize sunnen hât?
ir lop vil balde *alsus* zergât.

Parzival I, 45, 2:

waz wart geboten
dem küenen Razalîge,
dô er schiet von dem wîge?
daz leister durch triuwe.

Interrogatio directa igitur relativi membri partes sustinet sententiarumque necessitudo indicatur pronomine demonstrativo ejusdem, quam interrogativum significaverat,

---

46) Cfr., quae hac de re in universum disputavit Aufrecht Zeitschr. für vergleich. Sprachforsch. I. p. 285.

47) Similiter Luther Epistel St. Jacobi 3, 13: Wer ist weise und klug unter euch? Der erzeige mit seinem guten Wandel seine Werke, in der Sanftmuth und Weisheit.

rei vel personae notionem referente. Quo in usu egregie cernitur vigor ille vetustioris cujusque sermonis proprius, quo sensa non ad mentis rationem disponantur, sed eodem ordine, quo animo concipiuntur, deinceps exprompta vinculis quibusdam jungantur, quibus periodus non indiget. Itaque quae, si sententias ad mentis rationem componimus, ceteris subjicienda sunt, quum concitato animo concipiantur prius, continuo interrogationis forma pronunciantur tamquam per se spectanda; tum vero, quae res vel persona interrogatione definita est, in initio posterioris membri pronomine demonstrativo ita refertur, ut eum obtineat locum, qui sententiarum ratione postulatur. Jam non temere judicare nobis videmur, si tali ex libera membrorum ratione, praedicati collocatione in priore membro mutata, ut in lingua nostra, ita in lingua latina et graeca constantem illam formam rationis correlativae ortam esse arbitramur, qua protasis relativa pronomine demonstrativo excipiatur. Quod etsi exemplis probari nequit, tamen adeo interrogativa pronominum natura commendatur, ut verisimillimum certe putandum sit.

Jam Homeri carmina correlativam membrorum rationem adeo munitam praebent, ut protasis relativa cum apodosi arcte contineatur, etiamsi pronomen demonstrativum in apodosi abest. Liberiorem membrorum rationem exhibent, quae leguntur Il. 12, 269 *ὦ φίλοι, Ἀργείων ὅς τ' ἔξοχος ὅς τε μεσήεις ὅς τε χερειότερος, ἐπεὶ οὔπω πάντες ὁμοῖοι ἀνέρες ἐν πολέμῳ, νῦν ἔπλετο ἔργον ἅπασιν* et Il. 14, 376 *ὃς δέ κ' ἀνὴρ μενέχαρμος, ἔχει δ' ὀλίγον σάκος ὤμῳ, χείρονι φωτὶ δότω.* Atque priore quidem loco, interposito inter protasin relativam et apodosin tertio membro, ratio correlativa ita turbata est, ut vix sentias voce *ἅπασιν* comprehendi, qui protasi relativa separatim descripti sunt, praesertim quum pronomen demonstrativum absit et vox *ἅπασιν* ultimum locum obtineat. Altero loco praemissum

verbum ἔχει docet, relativam structuram ad alterum membrum protasis non pertinere, quod inde facile explicatur, quod protasis relativa vim conditionalem habet. Hos locos prae ceteris notavimus, quia et eam praebent protasin relativam, quam facile ad interrogationem revoces, et ob turbatam rationem correlativam aptissimi sunt ad illustrandam membrorum parataxin, quam in hoc quoque usu primo valuisse arbitramur.

Jam hunc pronominis usum diligentius persequentibus nobis separandae sunt protases relativae eae, quae notionem aliquam accuratius definiunt, et eae, quae conditionalem vim habent. Quarum illae apud Homerum numero multo minores sunt. Valet autem haec lex, ut pronomen relativum demonstrativo excipiatur, etiamsi eodem casu atque relativum ponendum est. Quod usu probari ex hoc locorum conspectu apparebit. Atque substantivum pronomini relativo eodem casu adjunctum legitur Il. 6, 421. 12, 196—199. 4, 44. Od. 23, 56. Genitivum partitivum ex pronomine relativo aptum legis Il. 7, 159. Od. 1, 219. 7, 211. Substantivum abest ab his locis: Il. 4, 236. 19, 42. 3, 132. 24, 499. 2, 511. (3, 321. 24, 544.). De collocatione substantivi sententiae relativae inserti observavimus haec. Pronomini ipsi adjunctum legitur Il. 14, 376, medium locum obtinet Il. 6, 421. 12, 196. 4, 44, ultimo loco legitur Od. 23, 56. Genitivus partitivus plerumque pronomen antecedit, velut. Il. 15, 743. 7, 159. 12, 269, raro in fine sententiae ponitur (Od. 1, 219).

Hoc usu quum constans illa forma rationis correlativae excolatur, interrogativa vi magis magisque evanescente, pronomen ad relativum usum propius accedere videmus. Sed relativum, quod proprie dicitur, pronomen tum demum fit, si substantivum definiendum praemittitur, ad quod pronomen referri possit. Quo facto praecedente

notione cummuni orationis membra ita inter se continentur, ut periodum circumscriptam efficiant, in qua sententia relativa secundarii membri locum obtinet. Quod quomodo factum sit, nunc paucis illustrare liceat. Ac primum quidem fieri potest, ut ad indicandam sententiarum rationem conjunctio aliqua protasi relativae praemittatur. Il. 12, 196—98 *τόφρ' οἳ Πουλυδάμαντι καὶ Ἕκτορι κοῦροι ἕποντο — οἵ ῥ' ἔτι μερμήριζον* Od. 1, 219. Arctius deinde membra orationis inter se junguntur, si notio aliqua praecipua, quae quidem duobus membris communis est, cum accentu quodam elata, primum locum obtinet. Ita objectum duobus membris commune praecedit Il. 9, 367 *γέρας δέ μοι ὅςπερ ἔδωκεν, αὖτις ἐφυβρίζων ἕλετο κρείων Ἀγαμέμνων.* Od. 18, 285 cfr. Od. 1, 316. Similiter Od. 23, 56 *κακῶς, δ' οἵπέρ μιν ἔρεζον μνηστῆρες, τοὺς πάντας ἐτίσατο ᾧ ἐνὶ οἴκῳ* adverbium *κακῶς* ad utrumque membrum referendum est. Denique si notio definienda ipsa primo loco profertur, jam in eo est, ut pronomen in relativum usum abeat. Od. 4, 652 *κοῦροι δ' οἳ κατὰ δῆμον ἀριστεύουσι μεθ' ἡμέας, οἵ οἱ ἕποντ'.* Sed monendum est etiam tum superesse vestigia pristinae rationis. Praemissum enim substantivum, quamquam ad sententiam primariam pertinet, tamen arctius continetur cum sententia relativa. Quod ii maxime loci docent, quibus substantivum pronomine demonstrativo excipitur Il. 16, 56 *κούρην ἣν ἄρα μοι γέρας ἔξελον υἷες Ἀχαιῶν, δουρὶ δ' ἐμῷ κτεάτισσα, πόλιν εὐτείχεα πέρσας, τὴν ἂψ ἐκ χειρῶν ἕλετο κρείων Ἀγαμέμνων* Il. 6, 271 *πέπλον, ὅςτίς τοι χαριέστατος ἠδὲ μέγιστος ἔστιν ἐνὶ μεγάρῳ καί τοι πολὺ φίλτατος αὐτῇ, τὸν θές.* Od. 4, 652. Praeterea documento est attractio illa sive assimilatio, quam dicunt, qua substantivum definiendum casum pronominis relativi accipit. Il. 10, 416 *φυλακὰς δ' ἃς εἴρεαι, ἥρως, οὔτις κεκριμένη ῥύεται.* Similia praebet pronomen ὅσος Il. 14, 75. 14, 371. Haec

ubi absunt, periodus ita circumscribitur, ut sententia relativa sententiae primariae membris circumclusa ei plane subjiciatur. Il. 18, 28 *δμωαὶ δ', ἃς Ἀχιλεὺς ληίσσατο Πάτροκλός τε, θυμὸν ἀκηχέμεναι μέγαλ' ἴαχον.* 19, 291. 8, 524. Od. 1, 316. 4, 600. Il. 14, 75. 14, 371.

Jam transeundum est ad protases relativas, quae conditionalem vim habent. Haec etsi imprimis modo conjunctivo et particulae *κε*, quae pronomini adjungi solet, deberi videtur, tamen etiam pronomini ipsi suam partem tribuere debemus. Quum enim fingantur, quae huic vel illi accidere possint, facile apparet desiderari pronomen, cujus notio quam latissime pateat. Talem quum prae ceteris pronomen interrogativum praebeat, natura ad hunc usum factum esse facile concedes, praesertim quum, quod supra docuimus, arctissima necessitudine cum pronomine indefinito contineri memineris. Sed accedunt alia, quibus conjectura nostra etiam magis confirmetur. Continentur interrogatio et protasis conditionalis, nescio qua ratione, ita, ut forma interrogandi etiam ad significandam conditionalem rationem adhiberi possit. Inde in nostro sermone constans ille usus ortus est, quo collocatio verborum in interrogatione usitata sufficiat ad efficiendam vim conditionalem. Exempli causa affero dictum illud: Willst du ins Unendliche schreiten, geh nur im Endlichen nach allen Seiten. Similia ex sermone graeco et latino affert Thierschius[48]). Apud Homerum comparari possunt, quae leguntur Il. 10, 534 *ψεύσομαι ἦ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός*, ubi, quae nos particulis disjunctivis cum sententia primaria componere solemus, forma interrogationis duplicis pronuntiata sunt. Summi vero momenti est, quod lingua graeca et latina et nostra miro consensu easdem conjunctiones, quibus

---

[48]) Griech. Gramm. §. 317, 9, c. p. 609.

in interrogatione indirecta utuntur, simul ad indicandam protasin conditionalem usurpant. Duplicem hunc usum in nostra lingua conjunctio *ob* praebet[49]). Conjunctiones *si* et *εἰ* praeter conditionalem etiam interrogativam vim habere satis notum est. Apud Homerum conjunctio *αἰ* maxime utriusque usus exempla praebet. Il. 4, 249 *ὄφρα ἴδητ' αἴ κ' ὔμμιν ὑπέρσχῃ χεῖρα Κρονίων.* Il. 5, 260 *αἴ κέν μοι πολύβουλος Ἀθήνη κῦδος ὀρέξῃ ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούςδε μὲν ὠκέας ἵππους αὐτοῦ ἐρυκακέειν.* Ita quum protasin conditionalem omnino ex interrogatione profectam esse verisimile sit, etiam sententias relativas, quae protasis conditionalis vim habent, ex interrogatione jure repetere nobis videmur, quum pronomen relativum primo interrogativum fuisse aliis de causis probabile sit. Quodsi quaeritur, qualis fuerit interrogatio, unde protasin conditionalem profectam esse putamus, primum hoc facile intelligitur, propius accedere ad rationem interrogationis indirectae, quam directae. Quum vero non praecedat, unde pendeat, ex ipsa cogitatione animi, dubitantis vel num ea, quae fingit, accidant vel cui accidant, proficisci putanda est, ita ut notio dubitandi vel nesciendi supprimatur. Sed monendum est modo conjunctivo, qui indicet loquentem exspectare fore, ut ea, quae fingat, eveniant, interrogationis dubitativae vim aliquanto minui, qua potissimum re conditionalem vim effici constat. Jam in jungendis membris antiquioris sermonis haec fuit ratio, ut apodosis particula *δὲ* protasi adjungeretur. Ita quae leguntur Il. 5, 260 *αἴ κέν μοι πολύβουλος Ἀθήνη κῦδος ὀρέξῃ ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούςδε μὲν ὠκέας ἵππους αὐτοῦ ἐρυκακέειν* —, *Αἰνείαο δ' ἐπαΐξαι μεμνημένος ἵππων,* si ad principalem suam vim revocamus, interpretanda sunt: Ob mir Athene den Ruhm

---

49) **Müller** mittelhochdeutsches Wörterbuch Bd. II. p. 427.

verleihen werde, beide zu tödten? dann (so) stürze du dich auf die Rosse des Aeneas. Copulantur igitur membra orationis simplici illa ratione, quae in sermone antiquiore valet, donec sententiae non ad mentis rationem componuntur, sed, ut animo concipiuntur, singulae pronunciantur. Plane eadem ratio cernitur in sententiis iis, quae, exclamationis vel desiderii forma pronunciatae, procedente oratione simul protasis conditionalis partes sustinent. Quod ut indicetur, praeter particulas *τῷ* (Od. 3, 224) vel *οὕτω* (Il. 11, 382) vel *καὶ* (Il. 22, 287) etiam particula *δὲ* usurpatur Il. 14, 108 *νῦν δ'εἴη ὃς τῆςδέ γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι, ἢ νέος ἠὲ παλαιός· ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη*. Jam ut transeamus ad protases relativas vi conditionali praeditas, ad particulam *δέ* protasin respicientem plerumque accedit pronomen demonstrativum. Abest uno loco Il. 23, 319 *ἀλλ' ὃς μέν θ' ἵπποισι καὶ ἅρμασιν οἷσι πεποιθὼς ἀφραδέως ἐπὶ πολλὸν ἑλίσσεται ἔνθα καὶ ἔνθα, ἵπποι δὲ πλανόωνται*, quo loco etsi verbum *ἵπποι* cum vi profertur, tamen particula *δέ* alterum membrum priori opponi non putamus. Alio loco *ἔπειτα* pariter atque *δέ* protasin relativam conditionalem esse indicat. Il. 1, 547 *ἀλλ' ὃν μέν κ'ἐπιεικὲς ἀκουέμεν, οὔτις ἔπειτα οὔτε θεῶν πρότερος τόνγ'εἴσεται οὔτ' ἀνθρώπων*. Pronomen demonstrativum cum particula *δέ* conjunctum undecim omnino locis legitur: Il. 2, 189. 15, 743. 11, 409. 9, 508. 9, 510. Od. 11, 147. 11, 149. 23, 857. 19, 329. 12, 41. Il. 10, 489. Quo in numero reperitur unus, quo pronomen demonstrativum non primum locum obtinet, sed mediae apodosi insertum est, Il. 9, 611. cfr. Il. 1, 547.

Ita quum sermo antiquissimus particula *δέ* ad indicandam sententiarum rationem uteretur, usu magis magisque munito, facile factum est, ut haec copula abjiceretur. Pronomen demonstrativum vel personale multis locis servatum est. Atque eodem casu, quo relativum, legitur:

Nominativo Od. 19, 564. 19, 566. 18, 276. Il. 23, 857, Accusativo Il. 2, 188. 2, 198. 4, 232. 4, 240. 1, 547. 10, 489.. Plurimis locis casus pronominum inter se differunt: praecedente Nominativo legitur Genitivus Od. 19, 332. Il. 1, 218, Dativus Il. 23, 807. 9, 510. Il. 19, 167. 17, 229. Od. 19, 329. 19, 577. 21, 75. 12, 41. Il. 3, 299, Accusativus Il. 15 743. 11, 409. 9, 508. Nominativus sequitur Accusativum Od. 11, 147, Dativum Od. 11, 149, Il. 24, 529, Accusativum sequitur Dativus Od. 7, 212, Il. 2, 391. 15, 348. Liberior hujus generis usus cernitur, ubi pronomen demonstrativum non primum locum obtinet, sed apodosis membris includitur. Il. 1, 547—49. 24,530 *ᾧ μέν κ' ἀμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος, ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ·* Il. 17, 229. Pronomen personale, quod demonstrativi loco interdum usurpatur, semper secundo vel tertio loco positum est. Il. 1, 218 *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.* Il. 2, 391 *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα ἄρκιον ἐσσεῖται....* Il. 3, 299. 15, 348. 19, 167. Quod quum in reliquo usu protasis relativae non reperiatur, inde explicandum esse apparet, quod conditionalis potius quam correlativa membrorum necessitudo est. Hoc etiam magis cadit in eos locos, quibus neque pronomen demonstrativum neque personale reperitur. Quorum plurimi sunt ii, quibus demonstrativum eodem casu, quo relativum, supplendum est: Nominativo Il. 14, 377. 4, 306. 18, 300. Od. 9, 94. Il. 15, 494. 23, 322. 23, 855. 24, 139. Od. 14, 126. 4, 227. 18, 46, Accusativo Il. 9, 146 = 397. 15, 22. Od. 18, 47, Dativo Od. 7, 47. Il. 3, 109. Sed etiam ubi casus pronominum eidem non sunt, pronomen demonstrativum interdum abest. Od. 18, 286 *δῶρα μὲν ὅς κ' ἐθέλῃσιν Ἀχαιῶν ἐνθάδ' ἐνεῖκαι, δέξασθ'.* Il. 19, 230. Il. 23, 660. Il. 23, 319.

Restat, ut notemus locos, quibus leges usu constitutae negligantur. Atque particula *κε* vel *ἄν*, quae pronomini relativo adjungi solet, desideratur Il. 23, 319. 9, 508. 3, 109. 12, 48. Od. 7, 74. 19, 329. 19, 566. Optativus in protasi legitur, ubi conjunctivum exspectes Od. 11, 149 cfr. 147. Duobus locis optativus, qui est in apodosi, effecisse videtur, ut protasis quoque optativum sumeret Il. 24, 139. 3, 299 *ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν, ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.* Suo loco optativus positus est in sententiis iis, quae temporis praeteriti sunt. Il. 2, 198. 4, 232. 15, 22. Od. 4, 222. Pronomen *ὅςτις* cum optativo conjunctum legitur Il. 2, 188. 15, 743. 4, 240. 10, 489. Od. 9, 94. Idem pronomen cum conjunctivo conjunctum legitur, absque particula *κε* Od. 12, 41, adjuncta particula *κε* Od. 11, 147.

Jam igitur ex interrogatione indirecta sententias relativas ortas esse arbitramur eas, quibus notiones in praecedente sententia primaria verbo objectae accuratius definiantur. Adjungitur vero interrogatio indirecta et ipsi verbo interrogandi et, quae notione cum illo continentur, verbis sentiendi et declarandi. Quae quum animos audientium ad interrogationem sequentem satis advertant, copula ulla, qua membra orationis inter se jungantur, non videtur opus esse. Atque subjicitur interrogatio nulla intercedente copula Il. 21, 609 *γνώμεναι, ὅς τε πεφεύγοι ὅς τ' ἔθαν' ἐν πολέμῳ* et locis reliquis supra allatis. Sed quum antiquioris sermonis omnino proprium sit variis copulis membrorum rationem significantibus rem magis illustrare, etiam in hac structura pronomen demonstrativum praemittitur ad interrogationem insequentem audientibus indicandam, quae quidem ratio simillima est ei, quam supra observavimus. Quemadmodum enim illic pronomen demonstrativum usurpari

vidimus ad notionem rei vel personae protasi relativa significatae referendam, ita interrogationi indirectae praemissum animos audientium ad notionem interrogatione definiendam advertit. Il. 2, 38 *οὐδὲ τὰ ᾔδη ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα.* Ita etiam explicanda esse videntur, quae leguntur Il. 1, 120 *λεύσσετε γὰρ τό γε πάντες, ὅ μοι γέρας οἴχεται ἄλλῃ,* ubi *ὅ* plerumque pro *ὅτι* positum esse docent, ut sententia sit: videtis enim hoc omnes, me dono privari. Quod quum appareat et languidius dictum esse, quam quod moto Agamemnonis animo respondeat, et nihil facere ad probandam sententiam praecedentem, respicientibus nobis, quae de virtutibus Chryseidis paullo ante dixit, dubium non est verba ad rationem loci modo laudati sic interpretanda esse: videtis enim hoc omnes, quo (i. e. quali) dono priver. Similia praebent pronomina *ὅσος* Il. 21, 442 *οὐδέ νυ τῶν περ μέμνηαι, ὅσα δὴ πάθομεν κακὰ Ἴλιον ἀμφίς.* Od. 15, 487 et *οἷος* Il. 15, 96 *ταῦτα δὲ καὶ μετὰ πᾶσιν ἀκούσεαι ἀθανάτοισιν, οἷα Ζεὺς κακὰ ἔργα πιφαύσκεται.*

Jam videamus, quomodo inde relativus pronominis usus ortus sit. Atque initium ita factum esse videtur, ut notio interrogatione definienda proximum ante pronomen interrogativum locum obtineret, velut Od. 19, 219 *εἰπέ μοι ὁπποῖ' ἄσσα περὶ χροὶ εἵματα ἕστο, αὐτός θ' οἷος ἔην,* ubi in altero interrogationis membro vox *αὐτός* cum vi quadam elata pronomen antecedit. Tum vero notio definienda, plane disjuncta ab interrogatione, sententiae primariae inseritur ita, ut verbo objiciatur. Il. 23, 498 *γνώσεσθε ἕκαστος ἵππους Ἀργείων, οἳ δεύτεροι οἵ τε πάροιθεν* Od. 16, 317 = 19, 498. 22, 417. Qua in membrorum ratione adhuc interrogativam potius, quam relativam pronominis vim valere inde cognoscitur, quod pronomen *ὅςτις* eundem usum praebet Il. 22, 382 *ὄφρα κέ τι γνῶμεν Τρώων νόον, ὅντιν' ἔχουσιν.* Od. 8, 550. Il. 6, 176.

Attamen jam eo pervenimus, unde pronomen paullatim in relativum usum abiisse statuendum est. Quod egregie illustratur loco insigni Odysseae 19, 219 *εἰπέ μοι ὁπποῖ' ἄσσα περὶ χροὶ εἵματα ἕστο, αὐτός ϑ' οἷος ἔην, καὶ ἑταίρους, οἵ οἱ ἕποντο.* Per tres enim illos, quos modo persecuti sumus, gradus ab interrogatione indirecta eo perducimur, ubi pronomen *ὅς* utrum interrogativum an relativum sit, dijudicari vix potest. Similiter medio in transitu pronomen versatur Od. 8, 237 *ἀρετὴν σὴν φαινέμεν, ἥ τοι ὀπηδεῖ.* Il. 5, 818 *ἀλλ' ἔτι σέων μέμνημαι ἐφετμῶν, ἃς ἐπέτειλας.* Paene non sentitur interrogativa pronominis vis Od. 4, 676 *ἦεν ἄπυστος μύϑων, οὓς μνηστῆρες ἐνὶ φρεσὶ βυσσοδόμευον.* Denique si pronomen demonstrativum notioni definiendae adjunctum interrogativo praemittitur, ea oritur necessitudo sententiarum, qua omne vestigium interrogationis deleatur. Il. 5, 320 *ἐλήϑετο συνϑεσιάων τάων ἃς ἐπέτελλε βοὴν ἀγαϑὸς Διομήδης.*

Reliquum est, ut paucis exponamus, quomodo relativus pronominis usus etiam extra terminos interrogationi indirectae constitutos paullatim pervulgatus sit. Atque facillime quidem interrogatio indirecta adjuncta est etiam iis verbis, in quibus notio cognoscendi latet. Hujus modi maxime sunt verba eligendi et quae sunt similia, quoniam eum, qui eligit, oportet cognovisse, quid sit vel optimum vel pro rerum conditione aptissimum. Itaque hos quoque locos ad interrogationem indirectam revocandos esse arbitramur: Od. 19, 403 *ὄνομ' εὕρεο ὅττί κε ϑεῖο.* Od. 1, 280 *νῆ' ἄρσας ἐρέτῃσιν ἐείκοσιν ἥτις ἀρίστη.* Il. 1, 136 Praeter pronomen *ὅςτις* pronomen *ὅς* legitur Il. 9, 392 *ὁ δ' Ἀχαιῶν ἄλλον ἑλέσϑω, ὅςτις οἷ τ' ἐπέοικε καὶ ὅς βασιλεύτερός ἐστιν.* Interrogativa pronominis vis minus sentitur Od. 4, 409 *σὺ δ' εὖ κρίνασϑαι ἑταίρους τρεῖς, οἵ τοι παρὰ νηυσὶν ἐυσσέλμοισιν ἄριστοι.* Il. 9, 521.

In aliis verbis rursus notio eligendi latet vel facile cogitatur. Il. 9, 74 τῷ πείσεαι, ὅς κεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. Od. 15, 106 τῶν ἕν' ἀειραμένη Ἑλένη φέρε δῖα γυναικῶν, ὃς κάλλιστος ἔην ποικίλμασιν ἠδὲ μέγιστος. Od. 4, 613 δώρων δώσω, ὅ κάλλιστον καὶ τιμηέστατόν ἐστιν Il. 10, 306 Od. 10, 522. 8, 424. Ejusmodi locis pronomen primo interrogativum fuisse eo quoque confirmari nobis videtur, quod adjectiva, maxime gradu superlativo, quae nos notioni ipsi adjungere solemus, ea apud Homerum plerumque pronomine relativo ad notionem praecedentem referuntur, velut Il. 17, 62 βοῦν ἁρπάσῃ, ἥτις ἀρίστη [50]. Nam si copulativa tantum vis pronomini tribuenda esset, hic usus cur adeo placuerit, non satis intelligeretur; interrogativa vero pronominis natura plane explicatur. Quo usu quum interrogativa pronominis vis magis magisque extenuaretur, facile factum est, ut natura verbi praecedentis plane neglecta omnino ad definiendas notiones usu reciperetur.

Ita etiam ab interrogatione indirecta profecti eo pervenimus, unde pronomen in relativum usum facile abiisse jure colligatur. Qua quaestione quum hoc potissimum ostendisse nobis videamur, commutationem notionis ipso pronominis usu facillime effectam esse, magnum inde ad probandam sententiam nostram accedere adjumentum arbitramur. Jam, ut reliquum pronominis usum praetermittamus, priusquam quaestionis finem faciamus, eos locos recensebimus, quibus pronomen in sententia praecedente non habet, quo referatur, sed ipsum ad exponendas notiones usurpatur. Quo in usu quae cernitur pronominis ὅς libertas a pronomine demonstrativo aliena, et ipsa ex interrogativa natura repetenda esse videtur.

---

50) De superlativo ἄριστος cum pronomine relativo conjuncto videas, quae Otto p. 7, Anmerk. 21. observavit.

Initium repetamus ab iis locis, quibus sententia relativa Dativi partes sustinet. Qui usus, quum a pronomine demonstrativo absit, singularem vim pronominis ὅς optime illustrabit. Atque facillime explicantur ii loci, quibus pronomen relativum ipsum Dativo positum de eodem verbo pendet, quod in sententia primaria legitur. Od. 2, 54 δοίη δ' ᾧ κ' ἐθέλοι. Od. 21, 345. 2, 128. 18, 270. 21, 280. Il. 24, 335. Aliis locis, quibus pronomen relativum Nominativo positum est, Dativus substantivi alicujus praecedens satis indicat sententiam relativam et ipsam Dativi partes sustinere. Od. 11, 434 οἷ τε κατ' αἶσχος ἔχευε καὶ ἐσσομένῃσιν ὀπίσσω θηλυτέρῃσι γυναιξί, καὶ ἥ κ' εὐεργὸς ἔῃσιν. Od. 15, 422. 24, 202. (Pronomen ὅςτις legitur Od. 2, 336 = 16, 386.) Simul monendum est sententiam relativam his locis conditionalem vim habere. Itaque quum liberior intercedat ratio inter sententiam primariam et relativam, facile fit, ut sententia relativa e vi verbi praecedentis eximatur. Idem cadit in hos locos: Il. 19, 235 ἥδε γὰρ ὀτρυντὺς κακὸν ἔσσεται, ὅς κε λίπηται. Il. 7, 401 γνωτὸν δὲ, καὶ ὃς μάλα νήπιός ἐστιν. (Pronomen ὅςτις legitur Od. 19, 511.) Omnibus his locis quum notio pronominis tam late pateat, ut pariter atque ὅςτις interpretandum sit *quicunque* vel *si quis*, pronomen demonstrativum cur relativo non praemittatur, facile intelligitur. Reliquis locis ea est notio verbi praecedentis, ut sententiam relativam ad ipsam interrogationem indirectam revocare liceat. Ita in verbo γαμεῖσθαι latet notio eligendi vel cognoscendi: Od. 21, 162 ἡ δέ κ' ἔπειτα γήμαιθ' ὅς κε πλεῖστα πόροι καὶ μόρσιμος ἔλθοι = 16, 392. (Pronomen ὅς τις legitur Od. 20, 335.) Similiter explicanda sunt, quae leguntur Il. 17, 509 τὸν νέκρον ἐπιτράπεθ' οἵπερ ἄριστοι. Ceterum crebriora hujus usus exempla praebet pronomen ὅςτις: Il. 23, 749 θῆκεν ἀέθλιον, ὅςτις ἐλαφρότατος πέλοιιο. Il. 10, 307 δώσω γὰρ δίφρον —, ὅςτίς κε

κλαίῃ Il. 19, 265. Genitivus partitivus pronomini relativo praemissus legitur Od. 15, 25 ἐπιτρέψειας ἕκαστα δμωάων ἥ τίς τοι ἀρίστη φαίνεται εἶναι. Od. 16, 76. 19, 528.

Jam ut transeamus ad sententias relativas, quae Genitivi partes sustinent, separandae sunt eae, quae de verbo praecedente pendent, et eae, quae ad definiendam notionem aliquam praecedentem adjunguntur ita, ut Genitivi partitivi vim habeant. Atque prioris quidem generis pronomen ὅς nullum exemplum praebet. Vix enim huc pertinent, quae leguntur Od. 18, 286 δῶρα μὲν ὅς κ' ἐθέλῃσιν Ἀχαιῶν ἐνθάδ' ἐνεῖκαι, δέξασθ', quia sententia relativa praemissa proxime accedit ad vim protasis conditionalis. Alterius generis exempla non rara sunt. Atque explicationis vix indigent, quae leguntur Od. 2, 28 τίνα χρειὼ τόσον ἵκει ἠὲ νέων ἀνδρῶν ἢ οἳ προγενέστεροί εἰσιν, ubi praecedens Genitivus partitivus satis indicat, qua ratione sententia relativa cum sententia primaria contineatur. Reliquis locis, quibus pronomen relativum numero plurali ad numerum singularem referri videtur, egregie cernitur singularis pronominis vis ex interrogativa natura repetenda, quae relativo usu magis magisque deleta est. Sententia relativa enim his locis ad rationem epexegesis adjungitur, ita ut pronomen non in locum notionis praecedentis succedat, sed, tamquam solutum ex necessitudine sententiae primariae, totum genus rerum vel personarum describat, cui res vel persona significata ascribenda est. Ita, quae leguntur Od. 4, 177 μίαν πόλιν ἐξαλαπάξας, αἳ περιναιετάουσιν, interpretanda sunt: was für welche umherliegen. Od. 19, 40. Od. 11, 503. 6, 192. 14, 511. 23, 136. 12, 97.

Major est numerus eorum locorum, quibus sententia relativa Accusativi partes sustinet. Qui usus quum sine dubio ex interrogatione indirecta profectus sit, primum afferendi sunt ii loci, quibus sententia relativa de verbis

sentiendi pendet. Il. 15, 130 *οὐκ ἀίεις ἅ τέ φησι θεὰ λευκώλενος Ἥρη*; Od. 2, 156 *ὥρμηναν — ἅπερ τελέεσθαι ἔμελλον.* De notione eligendi, quae in verbo sententiae primariae latet, interrogatio indirecta pendet his locis: Od. 4, 614 *δώρων — δώσω ὃ κάλλιστον καὶ τιμηέστατόν ἐστιν.* Il. 15, 137. Il. 9, 146 = 397. Od. 18, 47 cfr. Od. 2, 294 *ἐπιόψομαι ἥτις ἀρίστη.* Od. 24, 215. Reliquo in usu aliae causae effecerunt, ut pronomen demonstrativum ante relativum non desideraretur. Ita Accusativo praecedente, quae ratio intercedat inter sententiam primariam et relativam, dubium non est. Il. 24, 202 *φρένες οἴχονθ', ᾗς τὸ πάρος περ ἔκλε' ἐπ' ἀνθρώπους ξείνους ἠδ' οἷσιν ἀνάσσεις;* Od. 23, 84. Aliis locis verbum, de quo sententia relativa pendet, proximum locum ante pronomen obtinet. Od. 2, 130 *οὔ πως ἔστι δόμων ἀέκουσαν ἀπῶσαι ἥ μ' ἔτεχ', ἥ μ' ἔθρεψε.* Il. 10, 125. Plurimis vero locis, ubi pronomen demonstrativum non praemittitur, pronomen relativum ipsum Accusativo positum est. Od. 2, 275 *οὔ σέ γ' ἔπειτα ἔολπα τελευτήσειν ἃ μενοινᾷς* Od. 7, 197. 19, 171. Il. 6, 229. 6, 228. 8, 422. 9, 177. 11, 462. 21, 399. 23, 50. 24, 505. Od. 3, 342. 4, 745. Pronomen relativum Nominativo positum est Od. 14, 163. 7, 33. Il. 1, 230. Od. 21, 332. Il. 5, 119. Dativus pronominis relativi legitur Il. 24, 531, Genitivus Od. 22, 377.

Reliquae sunt sententiae relativae, quae Nominativi partes sustinent. Quo ex numero eas, quae ante sententiam primariam antecedunt, jam supra recensuimus. De reliquis non est, cur pluribus disputemus. Unum hoc monemus, verbum sententiae primariae plerumque proximum locum ante pronomen relativum obtinere. Pronomen ipsum Nominativo legitur his locis: Il. 4, 374. 5, 407. 5, 481. 23, 667. 23, 707. Od. 7, 322. 17, 11. 17, 258. 24, 160; Accusativo: Od. 3, 320. Il. 9, 131; Dativo: Il. 15, 664.